UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Capita octo sunt in materia restitutionis consideranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Visual Library

REpræſaliarum iniquitas frequens fortè eſt, vel quia iniuſtæ decernuntur, vtpotè non propter conſtitutam culpam præſidentium negligentium facere iuſtitiam. Nam ſi non conſtet illos puta Florentinos culpabiles eſſe negligendo facere iuſtitiam populo Romano creditori Florentiæ, iniquæ eſſent repræſaliæ à Romanis contra Florentinos: ſicut eſſet iniuſtum bellum contra Florentinos ſine culpa communicatis propter culpam alicuius particularis ciuis. Repræſalia enim eſt ſpecies belli particularis. Contingit quoque iniquitatem in executione interuenire, vel in quantitate plus exigendo: vel in qualitate clericorum res accipiendo, clerici enim intelliguntur exempti à repræſaliis: vel in ſubſtantia, vt ſi facerent repræſalias non ſolum res ſed perſonas accipiendo: quia in perſona nec pater portat iniquitatem filii, nec filius patris.

Capita octo ſunt in materia reſtitutionis conſideranda.

REſtitutio confeſſoribus ſæpe occurrit diſcutienda, & neceſſaria eſt (quia non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum) nec facilè poteſt quilibet diſcernere caſus eius multos, & ex multis capitibus contingentes, ideò diffuſiore opus eſt doctrina. Sunt igitur octo capita in reſtitutione conſideranda, ſcilicet quis, quid, quantum, vbi quando, quomodo, & quo ordine.

Reſtitutionis faciendæ duplex eſt ratio.

CAput primum eſt quis tenetur ad reſtitutionem. Et quantum ad hoc notandæ ſunt duæ radices reſtitutionis omnis. ſ. acceptio, & res: ita quod omnis reſtitutio aut eſt debita ratione acceptionis præcedentis, aut rationa rei acceptæ. Et extenditur hic acceptionis & accepti nomen ad omnem actionem

qua